

verbum : *quid novi* ? Plato in Cratylo : *νόστος*, id est, intellectio, est quasi *νέξ ἕσις*, id est, novi desiderium. Explicationem quam ibi addit jam non examino.

8. Quid de *raritatum collectoribus* sentiendum ? Resp. Si rara colligant ad Historias & causas rerum meliùs intelligendas, rem faciunt laude dignam; sin eo tantùm fine, ut aliis monstrent & ostentent (ut mos est plurium) parvi sunt æstimandi.

9. An *Angeli* etiam admirantur ? Resp. quid ni, cùm in eos, utpote minimè omniscios, cadat ignoratio ? Sed hanc admirationem in angelis purè intellectualem intellige, quam ab admiratione sensuali, quæ propriè affectus est, in superioribus distinximus.

EXERCITATIO LXXXI.

De usu admirationis, & quomodo tollatur.

I. **U**Sus admirationis est, ut nos disponat ad acquisitionem scientiarum, attentiores reddat & alacriores in veri investigatione. Hinc admiratio philosophiæ principium, semen scientiæ, item abrupta scientia nuncupatur.

2. Hinc